

cis forsan tentatum) quoniam diversæ Gentes diversè quoque suis Linguis hanc vel illam literam pronunciant, ut ifusiùs hoc linguarum Interpretes & Grammatici monstrant. Et licet hæ præcursoriæ Dissertatiunculæ huc spectare non videantur; an sã tamen hæc re volui dare veritatis Indagatoribus ulterius inquirendi & tentandi, annon Terrarum Gentibus genuina Literarum pronuntiatio, quæ oris humani structurâ tam mirabili, nempe gutture, faucibus, palatò, dentibus & cæteris oris humani terminis, linguâ moderatrice, formatur & peragitur, omnibus tandem inculcari posset, quò unam eandemq; Literarũ enunciationem citra errores quotidianos instar normæ ac regulæ amplectarentur atq; inirent.

Quòd *Species & Plantarum Differentias* concernit, eas juxta Dispositionem Clarissimorum *Bauhinorum*, præsertim *Casparis* (cujus fratrem, *Johannem*, per totum ferè in *Historia sua Universali Plantarum Caspari* contradicentem, non absq; insigni opera cum Fratre tanquam reconciliatum reddidi) aliorũmq; suis quasi *Generibus* juxta Ordinem Literarum positis subjunxi, nec poterant illæ sub Indicẽ Alphabeticum aliter collocari. Nam quâ ratione ex ipsius Naturæ Fonte *Genera & Species Plantarum* debeant hauriri, indagari, affinitatibus suis se invicem consequi, & ordine legitimo poni, huc non spectat, illudque forsan aut ignotum aut perspectum æquè tibi ac mihi est, qui à teneris huic parti Philosophiæ & Theoriæ plurimum laboris & temporis dedi. *Speciebus ac Differentiis* singulis in gratiam *Germanorum*, præcipuè *Hortulanorum* quædam Idiomate Germanico addere initiò erat animus, ut cæteris Europæ Nationibus an sã præberem similia in suis Linguis præstandi. At cùm viderem opus nimæ fore molis, destiti ab incepto, ut Index formam suam portatilem retineret. Iisdem in *Speciebus*, quando *Colorum Differentiæ* insignes, præsertim in *Floribus* præstantioribus occurrebant, non secutus sum ubique Auctorum seriem, sed quandoque non absque labore *Flores* suis coloribus juxta ordinem Colorum, in *Iride cælesti* observabilium, posui: in qua Supremus est *Ruber*, quem sequitur *Aureus*, hunc *Viridis*, demum *Cæruleus* & ultimò *Puniceus*. His adduntur *Albus* & *Niger*: qui conjunctim *Septem Cardinales* faciunt colores, ex quibus tanquam simplicibus variè inter se mixtis (si hypostaticos tractamus colores) innumerabiles ferè oculis se sistunt Colorum Differentiæ, quod *Pictoribus Artificibus* perspectum & notissimum. *Taumantia Iris*, Speculum *Apollinis*, omnium sanè Colorum Cynosura est.

Intertextere quoque curavi juxta seriem Alphabeticum *Catalogos* quosdam *Florum* eorum, qui formâ præ cæteris excellunt, & *Regum Magnatumq;* *Hortos* exornant, quorum Nomina pleraque efficta *Propria Virorum & Feminarum* nostri Seculi *Illustrium, Artificum insignium, rerumque variarum*, hodie à *Belgis, Gallis, Italis* &c. curiosius intro-